

F W B

A N N O

1 6 6 0

Handwritten text on the spine edge, partially obscured.

AB
174887



W 50/14

W. Nr. 3-95.

Crocina

noch 21 andere Pflanzen
vom 2-20/11-23) bei Weiskott.
im Landgrafen Busch zu Hensen-Busch
3. erst. Kinde bet.

L. IV. 44.



17
VALERIANI
MAGNI
ET COLLEGARVM EIVS
Capuccinorum

ACTIO IV.

PRO FIDE CATHOLICA

QVÆ EST II.


A D

MAG.^{cum} D. GEORGIVM CALIXTVM
Sacrae Theologiae Doctorem.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud PAULUM METTERNICH, propè S. Laurentium,
Anno 1652.



Magnifice Domine: Ex priore nostra Actione eruditio tua habet schema, & initium aliquod eius ratiocinationis, quæ nos confirmat in sententiâ de infallibili assistentiâ Spiritus sancti, cum Pontifex Romanus definit ex Cathedra: hac verò Actione expendimus, pro ut promisimus in Actione tertia, seriem auctoritatum, seu argumentorum, quæ te contraxit in eam sententiâ de fide Christiana, quam ab annis octodecim publicasti. Sic porro illam considerabimus, ut quis clarè intelligat, mentem nostram non obniti, sed esse ultioneam veritati occurrenti.

Proferis ergo (sunt tua verba) Symbola; Apostolicum Nicænum.

Constantinopolitanum & Arhanasianum.

Anathematismos Ephesinos.

Confessionem Chalcedonensem,

Quæ Nestorianorum, & Euthychianorum reliquis, quinta, & sexta Synodi opposuerunt. Quæ item Pelagianis Africana plenaria, siue, ut vocari solet, Mileuitana, & sempilagianis Aurasciana secunda synodus opposuerunt.

Statuis duo principia, vnde præfaram doctrinam censeres esse veram. Principium primum est. Quidquid sacra Scriptura docet, est verum. Alterum:

Quidquid primorum quinque seculorum Ecclesia vnanimiter professa fuit, est verum. Præclarè hucusque, non enim his margaritis adnumerat Confessionem Augustanam, Institutiones Caluini, Concordiam Wittenbergensem, Articulos Schmalkaldicos, & alios eiusmodi libros: quapropter concedimus totum; non tamen concedimus te profiteri integram fidem Catholicam; Nam si expendimus fidem tuam ex Thesis, quas constituis, dum respondes quatuor quæstionibus, propositis à Cels. mo Principe Ernesto Landgrauio Hassiæ, animaduertimus te fouere sub Catholicissimis præfatis symbolis & Confessionibus doctrinam repugnantem & sacrae Scripturæ, & monumentis primorum seculorum: nimirum, pagina 9. tui responsi in hæc formalia verba exponis intimiora tuæ doctrinæ.

Nunc ad quæstiones Illustrissimæ Tuæ Celsi, nis accedo.

Prima requirit indicationem propriæ Ecclesiæ ita lucidam, ut, si velit alicui eorum dare nomen, ea ultro sibi pateat.

Responsum.

Per propriam Ecclesiam intelligi puto veram Ecclesiam, in qua, dum hanc vitam viuimus, remissio peccatorum haberi, & æternæ beatitudinis post hanc vitam habendæ ius acquiri possit. Quæstio autem est ita instituta, quasi esset hominis extra Ecclesiam positi, & desiderantis intrare. De quo aliquid dixi in memoratis



ris Tractatibus KK. 3. Sed vix credo te, Illustrissime Princeps, de alio loqui, quam
de homine Christiano, & per Baptismum Christo Ecclesiae que inserto. Tali itaque,
si id ex me quarat, respondeo, Ecclesiam Ierolymis cepisse, & inde per rotum ter-
rarum orbem esse propagatam, & in particulares innumeras, partim cognititas, par-
tim incognitas, omnes tamen sub Capite Christo per fidem, & charitatem vnitas,
diffusam. Diuturnitate temporum factum est, vt varia mutationes circa particula-
res alias, atque alias contigerint; aliae videlicet, prorsus defecerint, & a fundamen-
to penitus exciderint; aliae fundamentum retinuerint, & super eo aurum, argen-
tum, lapidesque pretiosos, id est, commodas scripturae & exortarum quaestionum
expositiones & viles ritus edificauerint; aliae fundamentum quidem retinuerint,
sed ei inaedificauerint ligna, fanum & stipulam, id est, erroneas opiniones, & ritus
otiosos, aut superstitiosos. Hinc itaque factum, vt dum inter se particulares Eccle-
siae comparantur, aliae magis, aliae minus purae deprehendantur.

Ecclesijs ergo eatenus a te distinctis, decernis pontificias esse omnium inquina-
tissimas. Tuam, in qua es & natus & educatus, numeras inter puriores: imò nec alibi
puriores existere, praesertim quod doctrinam attinet. Hassiacam Ecclesiam laudas,
si non profiteatur decretum praedestinationis absolutum, recipiatque corporis Chri-
sti praesentiam in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Si ista, inquis, vt commodè
fieri poterit, emendentur, nò video causam, quare aliam, Celsitudo Tua, velit qua-
rere Ecclesiam, cui nomen det, & quae sibi vltro pateat, quam eam, in qua natus
fuit, & innutritus.

Postulatus verò exponere illam doctrinam de fide, quae in cuiusque partium
Ecclesia sic proponitur credenda, vt illi, qui eam contumaciter pernegant, anathema-
te separentur, reponis quae sequuntur.

Respondeo: doctrinam de fide, quae necessaria sit ad salutem, sufficienter ex-
poni illo libello, cui titulum fecimus, *Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia*, eiusque pri-
morum oecumenicorum Conciliorum Symbola & confessiones: iterum tractati-
bus germanicis nuper editis subiuncto. Quibuscunque, ibi anathema dicitur, nos
quoque dicimus. Videatur inter eosdem Tractatus littera P. P. 3. & quae eam se-
quuntur. Hos Tractatus tuos ignoro, sed ea est tua prudentia & humanitas, vt in con-
tinuatione tui responsi pagina 21. a nobis non requisitus, vltro promittas, quod de-
sideramus. Feci, inquis, id equidem dudum (scilicet Tractatus praefatos sed opus
est hic repeti, ne a nostra parte quidquam desideretur, vel doctrina nostra, eiusue
aliqua portio notitiae aduersantium subtrahi videatur. Non inuenimus inter alios
Bibliistas tantum propriae doctrinae fiduciam, & candorem in ea proponenda.

Decisionem quaestionum, quae inter Christianos ab aetate Lutheri periculosè con-
trouertuntur, factam redactamque in libros symbolicos, indicas his formalibus verbis.

Quaestiones, quae inter Christianos ab aetate Lutheri controuertuntur, aut
rangunt directè, & ex propinquo articulos fidei, & fundamenta salutis, aut sunt ap-
pendices quaedam, & quaestiones annatae, si prius, sufficienter determinatae & ex-
positae sunt in symbolis & concilijs, quae diximus. si posterius, non opus est districta

decisione, sed, si aliquis earum usus, discuti & ventilari possunt inter eruditos, & dispici, num aliqua certitudo inueniri possit. Si non potest, cogitemus quod per fidem ambulamus, non per adspetum. &c. Interrogatus verò, vtrum post ætatem Apostolorum extiterit, aut existat homo, aut cœtus hominum, qui habeat infallibilem auctoritatem proponendi doctrinam fidei, definiendi exortas circa illam controuersias, & segregandi à cœtu fidelium illos, qui sunt apertè contumaces in illam doctrinam,

Respondes.

Non extat post ætatem Apostolorum vllus homo vel vllus cœtus, qui in proponenda doctrina fidei, aut definiendis circa illam exortis controuersijs sit infallibilis ideo, quia talis homo, vel talis cœtus.

Demùm capitalem quæstionem, quæ respondet nostræ capitali de infallibilitate summi Pontificis proponis, & soluis, hoc modo.

Si quis iudicet, nec extare, neque extitisse eiusmodi hominem, aut hominũ cœtum, quæritur. Quid id sit, vnde Christiani sibi deriuare queant, ac debeant doctrinam fidei, eiusque explicationem super sensu Sacræ Scripturæ, sicubi subijciatur disputationi non tolerandæ.

Respondeo, si agatur de simplice apprehensione, in qua secundum se consistit fides in animo cuiusvis fidelis, etiam rudis & Idiota; tum verbum ipsum eius doctrinæ diuinum quid diuinum & adiunctam habet efficaciam Spiritus Sancti animum mouet, & sibi fidem facit, vt qui audit, & considerat, dicere possit cum Sancto Petro, Verba sunt vitæ æternæ, & cum Thessalonicensibus, excipiat verbum, quod audit, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) vt Dei verbum, qui etiam operatur in credentibus. Nam Spiritus est qui testificatur Spiritum, id est, doctrinam spiritualem & ministerio Spiritus; (2. Corinth. c. 3. v. 6. & 8.) siue Euangelico propositam esse veritatem, 1. Ioh. v. 5. Quæ puto omnia in exercitatione de auctoritate Sacræ Scripturæ sufficienter exposita esse. Si autem hæc ipsa fidei doctrina humanæ mentis discursui, quem vocamus, subijcitur, & ad probationem ac disquisitionem venit, sic deriuatur siue deducitur tum ex Scriptura canonica, tum ex vnanimi prisca primæque Ecclesiæ consensu, ex eius symbolis potissimum manifesto: & ex illa quidem, in cuius apertis dictis inueniuntur omnia, quæ continent fidem moreque viuendi, vt loquitur Augustinus, primariò; ex istis secundaria quadam ratione, à Sacris Canonicis scripturis pendente & deriuata.

Hæc, inquam, doctrinæ tuæ, non sunt consentaneæ sacris libris, & monumentis primitiua Ecclesiæ: putamus autem licere nobis per tuam humanitatem præscribere tibi, quid tua eruditio nobis demonstret primo, secundo, aut alio loco.

Nosti ergo ex priore nostra Actione, Catholicos distingui à Bibliistis in regula discernendi, quænam ex multis doctrinis sit à Deo reuelata.

Nos Catholici eam existimamus & credimus talem, quam suprema iurisdictio Ecclesiastica sub anathemate proponit, explicatque vniuersæ Ecclesiæ. Vos verò, qui existimatis iurisditionem supremam in Ecclesia posse errare in fide & errasse multipliciter, tamen si vno ore dicaris, id, vnde quilibet, & quælibet possit sibi cauere ab erroribus Ecclesiæ docentis, esse purum verbum Dei scriptum, tamen modus huius

pri-

privati scrutinij non est vnus, communis omnibus Bibliſtis; Tuus verò, quem ſatis luculenter expoſuiſti, vix debet nuncupari ſcrutinium ſacrarum litterarum. Poſtulamus autem à tua humanitate, quod primo loco velit exarare nobis candidè & ſincerè argumenta, quæ te urgent in eam ſententiam, quam expoſuiſti de modo cauendi ab erroribus Eccleſiæ docentis.

Ea enim eſt talis, cuius falſitas neceſſariò infert falſitatem doctrinæ tuæ: quemadmodum Catholicorum ſententia de infallibilitate ſupremæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſi vera ſit, infert certitudinem infallibilem univerſæ doctrinæ noſtræ.

Hæc verò ſententia tua conuoluit plures propoſitiones, quas, tibi probaturo illas, enumeramus. nimirum

1. Suprema iuriſdictio Eccleſiaſtica poteſt errare in eſſentialibus fidei, tamenſi proponat, & explicet illam univerſæ Eccleſiæ ſub anathemate.

2. Suprema iuriſdictio Eccleſiaſtica poſt ſextam ſynodum œcumenicam multipliciter errauit in fide.

3. Verbum Dei, quia eſt diuinum, & habet adiunctam efficaciam ſpiritus ſancti, mouet animū perſonæ rudis & Idioteæ, & ſibi fidem facit, ut, qui audit, & conſiderat, dicere poſſit cum S. Petro: Verba ſunt vitæ æternæ. Sin verò fidelis non a deo rudis poſſit ſubiicere ratiocinationi ſuæ quæſtiones de fide, rete explicas in hæc propoſitiones.

4. In ſacræ ſcripturæ dictis apertis inueniuntur omnia, quæ continent fidem moresque viuendi.

5. Dubitans de veritate doctrinæ, propoſitæ ab Eccleſia, ſi ratiocinando vult ſibi cauere ab erroribus eius, debet argumentari præcipuè ex ſcriptura canonica.

Tua ergo, quam proponis, regula diſcernendi doctrinam à Deo reuelatam à non reuelata, conuoluit omnes enumeratas propoſitiones, quarum tamen nullam probas, præter efficaciam ſpiritus ſancti, annexam verbo Dei.

Meminerit porro tua modestia legis, quam nobis, demonſtraturis infallibilitatem Romani Pontificis, præſcribis hæc formalibus verbis.

Nihil itaque nunc aliud ſuper eſt, quàm ut P. Valerianus cum ſuis, ex principi- „
pijs, quæ nos certa & indubitata eſſe utrinque admitimus, nempe *Sacra ſcriptura*, „
vel ſaltem *Vnanimi primæ & priſcæ Eccleſiæ conſenſu* demonſtrationem conficiant, & „
ſyllogiſmum proferant, cuius conſuſio ſit, Romanos Pontifices ex Cathedra de- „
finientes errare non poſſe, eum enim auidè exſpectabo. „

Quapropter nos quoque, exſpectamus à tua eruditione demonſtrationes, ſeu ſyllogiſmos ex ſacra ſcriptura, vel ſaltem unanimi primæ & priſcæ Eccleſiæ conſenſu prolatas, quarum conſuſiones ſint præfatæ propoſitiones tuæ.

Quoniam verò propoſitiones demonſtrandæ ſunt plures, nos verò non amamus diſpendium verborum, ſed compendium ſententiarum, exiſtimabimus nobis fuiſſe abundè ſatiſfactum, ſi tua eruditio primo loco nominet unum hominem, qui contumaciter aſſeruerit, Eccleſiam ſupremo loco docentem erraſſe in fide, nec tamen in primis quinque ſeculis fuetit ſegregatus à cætu fidelium, tanquam hæreticus.

Et unum Concilium generale, approbatum à Romano Pontifice, quod retractauerit decretum, de fide, ſancitum, & promulgatum vel à te, vel ab alio ſimili con-

cilio. Illa verò quæ nos argumentando opposituri sumus, sunt plurima: Verùm, ex te-
nere methodi à nobis inchoatæ, non argumentabimur contra tuam sententiam, an-
tequam respondendo solvamus tua argumenta, ducta & ducenda ex sacris litteris
pro asserenda præfata efficacia verbi divini, conciliantis sibi fidem apud Idiotas &
rudes, sic verò argumentaris tamen in forma syllogistica. Personæ rudes & Idiota au-
dientes verbum Dei, propositum in ministerio Evangelico, possunt cum S. Petro di-
cere, verba sunt vitæ æternæ. Illi verò, qui audientes verbum Dei, propositum in mi-
nisterio Evangelico, dicere possunt cum S. Petro: Verba sunt vitæ æternæ, necessario
possunt sibi cauere ab hæresibus Ecclesiæ, supremo loco docentis.

Ergo personæ rudes & Idiota possunt sibi cauere ab hæresibus Ecclesiæ, supre-
mo loco docentis. Maiorem non probas: minorem verò, quam nos semper primo lo-
co ponimus, sic probas.

Personæ rudes & Idiota, audientes verbum Dei in ministerio Evangelico, au-
diunt verbum habens adiunctam efficaciam Spiritus Sancti, qui movet animum, & si-
bi fidem facit.

At quis, qui audiens verbum Dei in ministerio Evangelico, audit verbum ha-
bens adiunctam efficaciam Spiritus Sancti, qui movet animum, & sibi fidem facit, ne-
cessario dicere potest cum S. Petro, Verba sunt vitæ æternæ.

Ergo personæ rudes & Idiota, audientes verbum Dei, propositum in ministe-
rio Evangelico, dicere possunt cum S. Petro: Verba sunt vitæ æternæ.

Minorem & maiorem huius syllogismi probas tribus textibus sacris obiter ad-
ductis, quos tamen exaratos consideramus. Primus textus ita habet. *Dixit ergo Ie-
sus ad duodecim. Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo Simon Petrus. Do-
mine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos cognovimus, quia tu es
Christus filius Dei* Ioh. 6. v. 70.

Sanè hic textus est sacer, sed nec continet thesin tuam, nec illi æquipollet; qua-
propter requiritur humana, tuaque ratiocinatio, quam ultro acceptabimus, si sit ne-
cessaria. Concedimus quidem Petrum & Apostolos noluisse secedere à Christi do-
ctrina, secedentibus Iuda proditore, & alijs nonnullis, scandalizatis ob manducatio-
nem carnis, & potum sanguinis Christi, at verò hinc non potest tua thesis inferri per
bonam consequentiam, qualis enim est ille syllogismus, qui inferat hanc conclusio-
nem? Quilibet & qualibet fidelis audiens in ministerio Ecclesiastico verbum Dei sic
cognoscit errores Ecclesiæ docentis, ut Petrus & Apostoli audientes Verbum Dei, ex
ore Christi, cognoverunt errores Iudæ proditoris, & sociorum eius. Nonne vides,
Calixte, ministerium Ecclesiasticum ex ore Christi differre à ministerio Ecclesiastico
ex ore v.g. Calixti? Ecclesiam docentem differre à Iuda proditore, & socijs eius? quem-
libet & quamlibet fidem differre à Petro & coapostolis eius?

Huic texti i adiungis ex i. thes. cap. 2. hunc, *Ideo & nos gratias agimus Deo
sine intermissione, quoniam, cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, acce-
pistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui opera-
tur in vobis, qui credidistis.*

En (for-

En (fortassis dicturus es) Verbum Dei ministratum non à Christo, sed à Paulo, ministratum non Apostolis, sed cuilibet Thessalonicensium, & tamen verbum carenus exceptum operatur in Thessalonicensibus, qui crediderunt, sit, ut dicis, verbumque ministratum à Calixto, sit eiusdem efficaciam cum verbo ministrato à Paulo, non tamen in hoc textu lego tuam thesin, vel aliam, quæ illi æquipollet: nil in hoc textu de erroribus Ecclesiæ docentis, nil de quorumlibet, & quorumlibet cautela ab eiusmodi erroribus per verbum Dei auditum in ministerio Ecclesiastico, Imò neque est vlla consequentia, quæ inde inferat thesin tuam, qualis est hæc consequentia?

Verbum Dei ministratum à Paulo, operatum est in illis Thessalonicensium, qui crediderant, ergo quilibet & quælibet fidelium potest ex verbo, eatenus audito, cauere sibi ab erroribus Ecclesiæ docentis?

Demum allegat D. Paulum 2. Cor. cap. 3. dicentem, Sufficiencia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israël in faciem Moyfi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?

In hoc textu non solum non est tua thesis, nec ulla eius umbra, sed in illo claret infallibilis assistentia Spiritus sancti, concessa supremæ iurisdictioni Ecclesiæ docenti meliore modo, quam fuerit concessa Moyfi, & reliquis ministris veteris testamenti.

Itaque tua eruditio nullum protulit syllogismum, cuius conclusio sit præfata tua thesis, pro ut à nobis requiris, & nos præstitimus in tertia Actione nostra; scimus tamen tuam eruditionem posuisse duntaxat theses, & sibi reseruare probationem solidiorem. Noluimus porro seponere præfata tua argumenta: Imò subiungimus aliud examen eorum argumentorum, cui fortassis non assueuisti. In superiore examine ponderauimus momenta illorum argumentorum, in hoc verò consideramus conditiones & argumentantis, & eorum, qui suadentur, & finem intentum à te argumentante.

Tu, Calixte, es tui conscius, teque ex tuis lucubrationibus norunt multi, & tamen, si obijceres orbi universo vel unum textum sacrum, quem orbis euertere conareretur, staremus tecum aduersus Orbem universum. Eo usque auctoritas sacrorum Bibliorum stat apud Catholicos alta mente reposita.

Verum, ubi tuum ingenium, tua expositio, tua ratiocinatio accedunt sacris litteris, in subsidium sensus, non adeò conspicui, te, comparatum Ecclesiæ, Deo militanti à mille sexcentis annis, seponimus eo loco, quem tua modestia, haud dubiana occuparet, si tibi confidendum esset in concilio universali, nimirum, in futurum.

Talis es tu. At, qui sunt illi quos conaris flectere in tuam sententiam? Orbis totus: Hunc alloqueris; & eos ex toto orbe, qui tecum communicant in fide, reddis certiores de tua erga illos charitate. In appendice verò tua, tu, ingens animi (quem amamus), dilatas, euehisque, spem & intentionem tuam. Tempus est, inquis, ut tandem

Ger-

Germania videat, & intelligat, imò si fieri queat, quasi palpet, quid denique de re-
ligione &c. statuendum sit. Conuersus verò ad Cels. mum Principem Ernestum
Landgraviũ sic illum alloqueris. Multum itaque tibi debet universitas, Germa-
nia, si quod cœptum est, non patiaris abrumpi: neque verò sola Germania, sed to-
ta potius Europa, imò quidquid est Christianorum toto orbe. Orbem ergò totum
vis ducere in tuam sententiam?

Quid verò est id, quod eidem suadere conaris? Damnas omnia concilia genera-
lia, celebrata spatio annorum mille ducentorum: Quæ verò prioribus quinque secu-
lis credita sunt, nec tamen fuere comprehensa in symbolis, confessionibus, & anathe-
matismis à te acceptatis, reformas ad eam regulam, quæ passim adhibetur à Calui-
nistis & Lutheranis.

Huic facinori peragendo, quas machinas admoues? Tuum scrutinium sacrarum
litterarum, & sacræ antiquitatis Ecclesiasticæ. Verum quomodo quilibet & quali-
bet cauebit sibi ab erroribus & Ecclesiæ docentis, & Calixti reformantis? Verbo Dei
audito in ministerio Ecclesiastico: unde ex Verbo Dei hanc thesin capitalem probas?
Ex supra citatis thesibus Ioh. 6. v. 70. 1. Thes. 2. 2. Cor. c. 3.

Nostra Modestia, O Calixte, sibi temperat ab ulteriore exaggeratione eorum,
quæ seponimus vel emendanda à tua prudentia & doctrina, vel suffulcienda argumē-
tis validioribus, quæ prudens disponis, & in continuatione tui responsi promittis.

Sanè speramus has tuas disquisitiones habituras exitum, qui congruat tuæ pru-
dentia, eruditioni & indoli non vulgari. Quis enim mortalium, cui sit notus animi
tui candor, quem profiteris, credat Calixtum velle persistere in sententia, cum præ-
sumptione violenta, quodd nitatur contra veritatem agnitam?

Det tibi Deus sapere ad sobrietatem, quam nos contestamur, dum neminem
prouocamus ad nostram, sed ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam de vero sensu sacra-
rum litterarum. Actum Moguntia. 5. Martij Anno 1652.

F. VALERIANUS MAGNUS, Capuccinus.


F. BARTHOLOMÆUS, VVernensis, F. F. Cap. Coll. Guardian.


F. BENIGNUS Elbingensis Concionator Capuccinus.


Placet vt Imprimatur


Henricus Francken Sierstorpius.
Librorum Censor.


























151887



154887


ULB Halle 3
002 639 602




5b.

AB 154887







VALERIANI
MAGNI

ET COLLEGARVM EIVS
Capuccinorum

ACTIO IV.

PRO FIDE CATHOLICA

QVAE EST II.

AD

MAG.^{cum} D. GEORGIVM CALIXTVM
Sacrae Theologiae Doctorem.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud PAULUM METTERNICH, propè S. Laurentium,
Anno 1652.

